



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Sauromatarum subactio per seruorum contra dominos tumultum. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

*Scytharum subactio per signum crucis nostræ
deuictorum. CAP. V.*

IAM verò quid attinet illa minime necessaria recensere, quemadmodum barbaras & immanes gentes sub Romanum imperium subiecerit: & ut Scytharum & Sauromatarum nationes, qui nunquam parere populo Romano didicerant, primus eis sub iugum miserit, coegeritque eos vel inuitos profiteri Romanos esse rerum dominos. Nam cum superiores imperatores vetustigalia Scythis perfoluerent: ipsique Romani à barbaris seruitute pressi quotannis tributa penderent: cum hæc conditio imperatori minime ferenda videretur, alienumque existimaret ab omnium gentium victoris dignitate, perinde ut maiores suos tributum pendere: seruatoris sui ope presidioque confusus, triumphale illud signum contra istos etiam obtendens breui spacio omnes superauit: & reluctantes quidem armata manu coercens: reliquos prudentibus legationibus placans, ab inculta & fera vita ad humanam ciuilemque traduxit. Atque ita tandem aliquando Romanis Scythæ parere didicerunt.

*Sauromatarum subactio per seruorum contra dominos
tumultum. CAP. VI.*

SAUROMATAS vero Deus ipse imperatoris pedibus substravit: quos barbara superbia elatos, hoc modo fregit & cooperisit. Cum à Scythis Sauromatæ inuaderentur: seruosque suos cogerentur armare, ut eorum vim & impetum repellerent: postquam penes seruos victoria constitisset: hij iam eadem arma, quibus contra hostem vsi sunt, in dominos conuertunt, omnesque suis sedibus & domiciliis deturbant. At domini salutis portum præter Constantinum reperiebant nullum. Is cum solitus esset salutem dare miseris: omnibus in Romanam regionem receptis: quos idoneos reperibat, in suorum militum ordines referebat: reliquis vero ad necessarios vitæ vsus agros ad colendum diuidebat: ut fortunatè & feliciter hanc sibi calamitatem accidisse faterentur, quando immanem feritatem cum Romana libertate commutassent. Sic Deus immanium barbarorum vniuersas gentes imperatori parere fecit.

Vario.